c Creticum, cuius etiam herbæ notę omnes huic noſtrę cõueniunt, necꝫ etiam facultates quas ſimiles Dauco cretico habet, diſcrepãt. Alterum Apio ſylueſtri, uel, ut antea diximus, Laſerpitio ſimile eſt: aromatũ modo odoratum, acre, guſtanti odoratum & feruens. Tertiũ foliꝭs Coriandro aſsimilatur, flore candido, capite & ſemine Anethi, in quo umbella erraticæ Paſtinacæ ſimilis eſt, ſemine oblongo plenum, ſapore ut Cuminum acri.

LOCVS.

Primum in petroſis & apricis locis naſcitur, nuſquam uerò in Germania copioſius quàm in Martianæ ſyluæ quibuſdam pratis prouenit. Reliqua duo genera in altis montibus gignuntur.

TEMPVS.

Iunio & Iulio menſibus florent.

TEMPERAMENTVM.

Semen Dauci admodum calefacit & exiccat. Idem etiam, ſed minori efficacia, facit herba.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Omnium Daucorum ſemen calefaciendi uim obtinet. Potum menſes, fœtus, & urinas mouet. Torminibus liberat. Tuſſes diutinas lenit. Succurrit phalangiorum morſibus cum uino potum. Oedemata illitum diſcutit. Ex aliꝭs ſeminis tantũ uſus eſt, ex Cretico radicis etiam, quæ cum uino præſertim ad uenenata bibitur.

EX GALENO.

Dauci ſemen efficax admodum tum mouendæ urinæ medicamentũ, tum prouocandis menſibus. Multum etiam diſcutere foris impoſitum ualet. Ipſa etiam herba eandem uim obtinet, ſemine tamen inferiorem, nimirum ob aqueæ humiditatis miſturam.

D

EX PLINIO.

Vehementer urinam impellit. Creticum magis contra ſerpentes pollet. Bibitur è uino drachma una, datur & quadrupedibus percuſsis, aduerſatur phalangio, capitis dolori medetur, tuſsi ſubuenit, ſtranguriæ medetur drachma ſeminis. Eius radix in uino pota, dyſenteriam ſiſtit. Contuſis & euerſis potũ duobus obolis in muſsi cyathis tribus ſubuenit, aut ſi febris adſit in aqua mulſa. Menſes & ſecundas potum facillimè pellit. Calculos eiicit. Folia omnia tela infixa corpori extrahunt.

DE DRACONTIO MAGNO▸ CAP▸ LXXXVI▸

NOMINA.

Serpentaria maior. Dracunculus unde dicta.

PAKONTIA μεγαλη, ἢ δρακόντιον μέγα Græcis, Dracunculus maior Latinis, nonnullis Serpentaria maior dicitur. Officinis ignota herba. Germani Schlangenkraut uocant. Nomen autem à figura ſumpſit: caulis enim glaber, purpureis ſqꝫ reſperſus lituris, uerſicolori facie, corpus anguinum repreſentat & æquat longitudine. Vertex quoque ſinuoſo oris hiatu linguam exerens cruentam, caput exprimit. Atque hinc eſt quod ueteribus etiam Romanis Colubrina ac Serpentaria nuncupata ſit: uel ſic dicta, Plinio autore, quod è terra ad primas ſerpentiũ uernationes exeat, rurſuſqꝫ cum ꝭſdem ſe in terram recondat, nec omnino occultata ea appareat ſerpens.

Colubrina.

FORMA.

Caulẽ habet glabrũ læuumqꝫ, rectũ, bicubitalẽ, baculi craſsitudine, uerſicolorẽ, ut angui ſimilis uideaẽ, purpureis etiã maculis abundat. Folia fert Rumicis inflexa, & plicata. Fructũ in ſummo caule racemoſum, coloris inter initia cineracei, poſtea qꝫ maturuit crocei & punicei. Radicẽ grandẽ, rotundã, candidã, tenui cortice ueſtitã. Ex qua deliniatione omnib. perſpicuũ fit, plantã eam cuius picturã exhibemus, eſſe Dracunculũ maiorẽ. Simplici enim caule attolliẽ, binũ cubitũm alto, lęui glabróue, recto, baculi craſsitudine, uerſicolorib. anguiũ maculis uariegato, purpureis etiã intercur-